



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

De phœnice aue, & de amante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

201  
ERIDANORVM

Tum supplex ueniam grata cum pace rogabo,  
Ipsa dabis, simul et basia multa dabis.  
Basia multa dabo, iungam quoq; munera pacis,  
Munera complexo ter repetita sinu.  
Hoc est pacis opus, sunt hæc sua foedera lecti.  
subscribas. per me nulla futura mora est.

AD STELLAM.

i N tenebris mea Stella nites, dum sydera pallent,  
Et nox ipsa tuo lucida honore placet.  
In medio mea Stella die sub sole nitescis,  
Clarior et per te solq; diesq; uenit.  
Sic es syderibus decus addita matutinis,  
Et radijs debent solq; diesq; tuus.  
Sed cur quæ tenebris honor es, decus una diebus  
Cur lumen nobis nocte, diesq; negas?  
Nocte negas, foribus clausis, in luce fenestris.  
O' tenebrae non iam stella' ue lux' ue mihi.

DE PHOENICE AVE, et de amante.

s Eligit e' syluis Arabum, lucisq; sabæis,  
Quos Phœnix ramos ad sua busta paret.  
Instruit his nidum, nido mox incubat ales,  
Incubitu flammas excitat inde suo.  
Vritur hinc, cineriq; suo fit et inde superstes,  
Ipse sibi est ortus, ipse sibi est obitus.  
At contra e' curis gravioribus, atq; dolorum  
Seligit e' cumulo, quers foneatur amans,

**I**ncubat his gaudi et q; malis, fruitur q; dolet q;, Hinc moritur, post hæc ad sua uota redit.

**I**lle tanien post mille annos, post sœcula dena, Ast hic quoq; die nascitur, & moritur.

**A L L O Q V I T V R** Heliades sorores.

q; Vid mœstæ, quid cœrulea sub fronde sorores  
Lugetis? miseros amne iuante modos?

An fratrem Phœthonta, uagis quod tractus habenis  
Ah miser, externis exulet ipse locis?

Hinc electra fluunt, lacrimosaq; gutta rigescit.  
Hæ lacrimæ, hi luctus succina lenta ferunt.

Flete piæ, lugete piæ Phœthontides, & me  
Vel socum uestrīs luctibus accipite.

Si desint uobis lacrimæ, si desit & hymber,  
Ipse quidem lacrimæ, luctus, et hymber ero;

Per me etiam Eridanus crescat stagnantibus agris,  
Finis enim lacrimis nulla futura meis.

Per me etiam ripæ mittent incendia, flagret  
Amnis, & in medias ignis iturus aquas.

Cedite cultores, ripas & flumina iam iam  
Vsta dabo, in flamas ibit & omne nemus.

**S T E L L A M A L L O Q V I T V R.**

q; Vale per æstatem sub sole rigentibus herbis  
Blanditur lapsis aura recens folijs,

Quale per arentes hortos in uere tepenti  
Nox mulcet teneras rore madente rosas,

Tale mihi dum mens languet, dum pectora furent,  
Nostraq; in incertum uela gubernat amor,